



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

VI. De Tertio Vsv Legis Divinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

ere possent, studiosè cauenda atq; vitanda sunt. Talis
 mia confusio faciliè meritum & beneficia Christi ob-
 curare, & Euangelion in Legem transformare posset:
 quod sub Papatu accidisse videmus. Et hac ratione pi-
 smentibus vera consolatio, quam ex Euangelio con-
 tra terrores legis haurire debent, eriperetur: & Ponti-
 cijs erroribus fenestrâ in Ecclesiam Dei irrepenti &
 nuadendi aperiretur. Quapropter magno cum peri-
 culo coniunctum est, neq; approbari potest, quòd asse-
 ritur, Euangelium (proprie sic dictû, & cùm a lege dis-
 cernitur) esse concionem pœnitentiæ, arguentem pec-
 cata. Alias verò quando generaliter de tota doctrina
 Christiana accipitur, etiam Apologia aliquoties doc-
 et, quòd Euangelium sit concio de pœnitentia & re-
 missione peccatorum. Interim tamen Apologia etiam
 ostendit, Euangelion PROPRIE dici promissionem
 de remissione peccatorum, & iustificatione nostra per
 Christum: Legem verò esse doctrinam, quæ & peccata
 arguat, & damnationem denunciet.

VI.

DE TERTIO VSV LE-
GIS DIVINÆ.

VM constet, triplicem esse legis diuinæ
 vsum (Lege enim disciplina externa &
 honestas, contra feros & indomitos
 homines, vtcunq; conseruatur. Lege
 peccatores ad agnitionem peccati ad-
 ducuntur. Deniq; qui per Spiritum Dei
 renati, & ad Dominû conuersi sunt, & quibus iam vela-
 men Moïsi sublatû est, lege docentur, vt in vera pietate
 viuant & ambulent.) Orta est de tertio illo vsu Legis
 contouersia, inter paucos quosdam Theologos. Horû
 alij docuerunt atq; senserunt, non opus esse, vt renati
 nouam

I.

II.

III.

nouam obedientiam, seu bona opera (in quibus ambulare oporteat) ex lege discant; aut, vt doctrina de bonis operibus ex lege depromatur vel vrgeatur, quandoquidem per Filium Dei libertati restituti, & iam facti sint templa Spiritus sancti, & propterea liberi, perinde ac Sol absq; alieno impulsu, sponte cursum suum naturalem conficit: ita enim & renatos sua sponte, instinctu & impulsu Spiritus sancti, ea agere, quae Deus ab ipsis requirat. Alij verò docuere: etiamsi verè credentes Spiritu Dei reuera agantur, & hac ratione secundum interiorem hominem, libero & spontaneo spiritu voluntatem Dei faciant; tamen Spiritum sanctum, scripta lege ad doctrinam ipsorum vti solere, quae etiam rectè credentes informetur, & discant, Deo non esse seruiendum iuxta ipsorum cogitationes aut opiniones, sed iuxta scriptam legem, & verbum eius reuelatum. Illud enim certissimam esse regulam & normam, ad quam vita, secundum immutabilem voluntatem Dei, sit piè instituenda.

Ad declarandam igitur & componendam hanc diffensionem, credimus, docemus, & confitemur vnanimitè, quòd etsi credentes & ad Deum verè conuerati atq; iustificati, liberati sunt à MALEDICTIONE legis, ita quidem vt ea ratione iam liberi dicantur: tamen in lege diuina quotidie exercere se debeant, vt scriptum est: Beatus, qui lege Domini delectatur, & in lege eius meditatur die ac nocte. Est enim lex Dei instar speculi limpidissimi, in quo voluntas Dei, & quae ipsi placent, perspicuè oculis nostris proponuntur: igitur ea credentibus semper inculcanda, & apud eos diligenter & assiduè est vrgenda.

Etsi enim iusto lex non est posita (vt Apostolus testatur) sed iniustis: hoc tamen non ita nudè accipiendum est, quasi iustis sine lege viuere liceat. Lex enim diuina cordibus ipsorum inscripta est. Et quidem

primo

Psal. I. 119.

primo homini statim post ipsius creationem etiam
lex data fuit, secundum quam vivere debebat. Hæc
legitur est verborum Pauli vera & genuina sententia:
quod lex eos, qui per Christum cum Deo reconciliati
sunt, maledictione sua obruere nequeat: & quod re-
natis, coactione sua, molesta esse non possit: quando-
quidem illi secundum interiorem hominem lege Dei
delectentur.

Et sanè, si credentes, & electi filij Dei per inhabi-
tationem Spiritum, in hac vita perfectè renouarentur:
ita quidem, vt in tota ipsorum natura, & in omnibus
viribus peccatum non amplius hæreret, non indige-
rent illi lege: neque vlllo exactore, qui eos ad bene o-
perandum vrgeret. Quia sponte & liberrimo spi-
ritu, sine omni doctrina, admonitione, cohortatione,
aut impulsu legis, ea ipsa facerent, quæ iuxta volunta-
tem Dei agere debent. Sicut etiam Sol, Luna, & reli-
qua astra, naturalem suum cursum, sine admonitione,
cohortatione, impulsu & coactione, per se sine impe-
dimento absoluunt: ad eum modum, quem Dominus
semel in prima creatione instituit: imò, sicut sancti
Angeli, promptam & per omnia spontaneam obedi-
entiam præstant.

At verò credentes in hac vita non perfectè, com-
pletiuè vel consummatiue (vt veteres locuti sunt) re-
nouantur. Et quamuis ipsorum peccata **CHRISTI**
obedientia absolutissima contexta sint, vt credentibus
non ad damnationem imputentur: & per Spiritum san-
ctum veteris Adami mortificatio, & renouatio in Spi-
ritu mentis eorum inchoata sit: tamen vetus Adam in
ipsa natura, omnibusq; illius interioribus & exteriori-
bus viribus adhuc semper inhæret. De hac re Apo-
stolus ait: Scio, quòd in me, hoc est, in carne mea, nò
habitet bonum. Et rursus: Non quod volo bonum,
hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Et: Video

Rom. 7.

Galat. 5.

altam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae & captiuantem me in lege peccati. Item, Caro concupiscit aduersus spiritum: Spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem sibi inuicem aduersantur, ut non quæcunq; uultis, illa faciatis.

*Psal. 119.**1. Cor. 9.**Hebr. 12.*

Eam ob causam credentes, electi, & renati filij Dei (propter illas concupiscentias carnis) non modo afflicta Legis admonitione, doctrina, & comminationibus indigent, verum etiam sæpè castigationibus, ut ueteribus illis excutiatur, & Spiritui sancto obtemperent, sicut scriptum est: Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Et: Caligo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et: Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo spurij, & non filij estis. Ea de re D. Lutherus in explicatione Euangelij Dominicæ 19. post Trinitatis luculenter admodum docuit.

Distinctè autem etiam explicandum est, quid Euangelium ad Nouam obedientiam credentium faciat & præstet: & quodnam (quoad bona opera credentium) sit Legis officium.

Lex enim inculcat quidem, esse uoluntatem & mandatum Dei, ut in noua uita ambulemus: at uires & facultatem non donat, quibus nouam obedientiam inchoare & præstare possimus. Spiritus autem sanctus, qui non per Legis, sed per Euangelij prædicationem datur & accipitur, cor hominis renouat. Deinde idem Spiritus ministerio Legis utitur, ut per eam renatos doceat, atq; in Decalogo ipsis monstret, quæ sit uoluntas Dei bona, & ipsi placens: ut nouerint, quibus bonis operibus opera danda sit, quæ Deus præparauit, ut in illis ambulemus. Et exhortatur Spiritus sanctus ad bona opera: ac si quando propter carnem remissiores sunt & negligentiores, aut etiã rebelles, per legem

*Galat. 3.**Rom. 12.**Ephes. 2.**5. 1. 1. 1.*

nos arguit. Et hoc modo idē Spiritus duo officia diuer-
 sita in idem hominibus facit: mortificat, & viuificat:
 reducit ad inferos & reducit. Eius enim officium non
 tantum est CONSOLARI, verum etiam ARGVERE,
 scriptum est: Cū venerit Paraclētus, arguet mun-
 dum (sub quo & vetus Adam comprehenditur) de
 peccato, & de iustitia, & de iudicio. Peccatum autem
 est, quicquid legi diuinæ aduersatur. Et Paulus ait: Om-
 nis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docen-
 dum, ad ARGVENDVM, &c. Arguere autem pecca-
 ta est proprium officium legis. Quare quoties creden-
 tes delinquant, corripiuntur & arguuntur à Spiritu
 sancto per Legem: & ab eodem Spiritu rursus eriguntur
 & consolationem accipiunt per Euangelij prædi-
 cationem.

2. Tom. 3.

Vt autem omnis ambiguitas & erroris occasio, quod
 ad eius fieri potest, caueatur: & discrimen inter opera
 legis & opera Spiritus propriè & dextrè tradatur at-
 que conseruetur: singulari diligentia obseruandum
 est, quando de bonis operibus agitur, quæ LEGI
 DEI sunt conformia (aliàs enim bona opera nequa-
 quam conseruentur:) quod, hoc loco, vocabulum
 LEGIS VRAM tantum rem significet: immutabilem,
 videlicet, voluntatem Dei, secundum quam homines
 omnes vitæ suæ rationes instituire debeant.

Est autem discrimen in operibus, propter differen-
 tiam HOMINVM, qui secundum Legem illam & vo-
 luntatem Dei viuere student. Homo enim nondum re-
 natus, qui utcumque secundum Legem Dei viuit, & o-
 pera Legis idè facit, quia ad eum modum sunt man-
 data: eamque obedientiam formidine pœnæ, aut spe
 præmij alicuius præstat: is adhuc sub Lege est, tanquā
 seruus, & opera eius propriè à D. Paulo Legis opera
 vocantur. Quia tanta opera à Lege extorta sunt: & hi
 sunt Camici sanctuli, (hoc est, hypocrita.)

Cum autem homo per Spiritum sanctum renatus atque à Lege, hoc est, à coactione Legis, liberatus est, iamque Spiritu Dei agitur: tum secundum immutabilem Dei voluntatem in Lege reuelatam, viuit: & omnia, quatenus renatus est, libero & prompto Spiritu agit. Et talia opera propriè non sunt appellanda, Opera legis, sed opera & fructus Spiritus: aut, vt D. Paulus ea vocat, dicuntur, Lex mentis, & Lex Christi. Hi enim homines non amplius sub lege sunt, sed sub gratia: vt idem Apostolus testatur.

1. Tim. 1.

Rom. 6. 8.

Cum autem credentes in hac vita non plene renouentur, sed vetus Adam ipsis, vsq; ad extremum Spiritum adhæreat: manet etiam in illis lucta inter Spiritum & carnem. Quare delectantur quidem lege Dei, secundum interiorem hominem: interim tamen Lex illa, quæ est in membris eorum, legi mentis repugnat. Vnde fit, vt nunquam quidem sine lege, & tamen non sub lege, sed in lege sint, secundum legem Domini uiuant & ambulent: & tamen bona opera non EX COACTIONE legis faciant.

1. Cor. 9.

Roman. 7.

Quod verò ad veterem Adamum attinet, qui in ipsis adhuc hæret: ille non modò Lege, verum etiam pœnis urgens & coercendus est: & tamen omnia inuitus & coactus facit: non minus quàm impij, qui comminationibus Legis urgentur, & in officio & obedientia inuiti utrunq; retinentur.

Deut. 12.

Quia etiam legis doctrina hoc nomine credentibus necessaria est: ne propria quadam sanctimonia religiosum vitæ genus de suo ingenio excogitent, & sub prætextu Spiritus Dei electitios cultus sine verbo & mandato Dei, instituant. De qua re sic scriptum est: Non facietis singuli, quod sibi rectum videtur, &c. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino neq; addas quicquam, nec minuas.

Sed & aliam ob causam doctrina legis in exercitio

bonorum

bonorum operum credentibus necessaria est. Facile enim homo imaginari & persuadere sibi potest: vitam & opera sua omnino pura & perfecta esse. At lex Dei credentibus bona opera ad eum modum prescribit: ut simul, tanquam in speculo nobis commonstret, ea omnia in nobis in hac vita adhuc imperfecta & impura esse: ita quidem, ut cum Apostolo fatendum nobis sit: Etsi mihi nihil conscius sum, tamen in eo non sum iustificatus. Quare cum D. Paulus renatos hortatur, ut bona opera faciant, expressè Decalogum eis proponit: & opera sua imperfecta & impura esse, ipse ex lege agnoscit. Et David inquit: Viam mandatorum tuorum cucurri. Interi n tamen orat: Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

1. Cor. 4.

Rom. 13.

Rom. 7.

Psal. 119.

Psal. 143.

Quomodo autem, & qua de causa bona opera credentium (licet in hac vita propter peccatum in carne carere imperfecta & impura) grata Deo acceptaq; sint, hoc non docet Lex: quæ integram, perfectam & puram, omnibusq; numeris absolutissimam obedientiam requirit: si modò ea Deo probari debeat. Evangelion verò docet, Spiritualia sacrificia nostra Deo accepta esse per fidem, propter Christum. Et hac ratione pii non sunt sub lege, sed sub gratia: propterea quòd ipsa persona piorum à maledictione & damnatione legis per fidem in Christum sit liberata, & quòd bona opera ipsorum, etsi imperfecta & impura, Deo, propter Christum, sint accepta & grata: & quòd non ex coactione legis, sed ex renouatione Spiritus sancti ex animo promptè & sponte ea faciant, quæ Deo placent: quatenus secundum interiorem hominem sunt renati. Interim tamen assidue cum veteri suo Adamo luctantur.

1. Pet. 3.

Heb. II. 13.

Vetus enim ille Adam (quasi asinus indomitus & contumax) est adhuc etiam pars aliqua ipsorum, quæ

non modò legis doctrina, exhortationibus, impulsu, & comminationibus, verùm etiam (quasi fustis) plagis & pœnis coercenda, in obedientiam Christi cogenda est: donec carnem peccati prorsus exuamus, & homo perfectè in beata illa resurrectione renouetur. Tum verò nec doctrina, nec comminationibus & reprehensionibus legis, denique ne Euangelij quidem prædicatione indigebit: hæc enim ad hanc mortalem duntaxat & imperfectam vitam spectant. Sed quemadmodum Dominum facie ad faciem intuebuntur: ita virtute inhabitantis Spiritus Dei, sponte, sine vlla coactione, absque omni impedimento, puri prorsus & perfectè, maximo cum gaudio voluntatem Patris cœlestis facient: & in Deo, in omnem æternitatem, latabuntur.

Quare reijcimus & damnamus, vt errorem perniciosum, qui Christianam disciplinam soluit & veritatis pietati aduersatur: cum docetur, quòd Lex (eo modo, qui suprâ explicatus est) non apud pios & credentes, sed tantùm apud infideles, impios & impenitentes vrgenda sit.

VII.

DE COENA DOMINI.



VAMVIS fortasse quibusdam videri possit, declarationem articuli de sacra Cœna, huic scripto inferendam non fuisse: in quo eos duntaxat articulos, qui inter Theologos Augustanæ Confessionis in controuersiam venerunt, declarandos suscipimus, & verò manifestum sit, Sacramentarios iam olim, (cum Confessio Augustana Anno Domini 1530. primum conscriberetur & Imperatori exhiberetur) penitus ab ea alienos fuisse, atque talem eo tempore secessionem fecisse, vt peculiarem e de re Confessio-

nem